

Salvatore. Cum bene meritis fauor debitus impenditur, et fideliter obsequentibus iuxta exigentiam meritorum in muneribus donationis digna merces attribuitur; attributaque perennali fulcimento firmata illaese conseruantur, Deus placari creditur, et subditi ad ampliora fidelitatis studia facilius prouocantur, accenduntque se spe et desiderio consimilis retributionis vel etiam amplioris. Ad vniuersorum igitur notitiam harum serie volumus peruenire: Quod magnificus vir, Dominus Stephanus, Banus totius Sclauoniae, Croatiae et Dalmatiae, ad nostrae Serenitatis accedens praesentiam, quoddam priuilegium Excellentis Principis Domini Ludouici eadem gratia illustris regis Hungariae, filii nostri charissimi, super donatione duorum castrorum, T. et T. nuncupatorum, ac possessionum seu villarum, aliarumque quarumlibet vtilitatum spectantium ad eadem, per eundem Dominum regem, natum nostrum perdilectum, sibi facta confectum tenoris infrascripti nobis praesentauit; supplicans exinde nostrae humiliter Serenitati: vt idem priuilegium nostris litteris priuilegialibus de verbo ad verbum transscribi facere, ac collationi et donationi eiusdem Domini regis de iam dictis castris, possessionibus et terris sibi factae nostrum reginalem consensum et beneuolam permissionem ac voluntatem approbanter praebere dignaremur; cuius tenor talis est: Ludouicus Dei gratia etc. (vide N. XCII). Nos igitur secundum quod reginalis nostrae sublimitatis exigentia postulat et requirit, vt vniuscuiusque regii fidelis merita animo metiamur pietatis, et his, quos opera suae virtutis regali remuneratione dignos efficit, et nos grata debemus reddere praemia meritorum, propositis petitionibus eiusdem Domini Stephani, totius Sclauoniae et Croatiae Bani, iustis et admissione dignis benigno fauore dignis, auditis, reuocatisque in memoriam multiplicibus fidelitatis et fidelium obsequiorum meritis, laude dignis, quibus idem a primaeuis suae pueritiae temporibus in cunctis et regni expeditionibus admodum necessariis, prosperis et aduersis, ac specialiter in viridi aetate mortui praefati Domini Andreae, filii nostri dulcissimi, quae sicut ipsi Domino Regi, filio nostro charissimo, sic et nobis in hac parte exhibuit et impendit diuersis fortunae casibus pluries, in partibus vltra marinis, se submittendo, feruenti studio et labore sollicito studuit complacere et se reddere gratiosum et acceptum. Volentes fidelitatem multimodis meritis eidem gratuito respondere cum fauore. Attendentes etiam, quod dignis digna impendi iustum est, et magnos labores copiosa merces reficere debet; praefatum priuilegium ipsius Domini Ludouici regis, filii nostri perdilecti, in nulla sui parte vitiatum, de verbo ad verbum praesentibus transcribi et inseri facientes, voluntatem et consensum nostrum, permissionemque nostrae reginalis maiestatis sicuti nuper tempore donationis et collationis praemissorum castrorum, possessionum et terrarum spectantium ad eadem inter iam dictos fluuios Drauae et Mura existentium, modoque supra eundem Dominum regem sibi factae, sic et nunc vigore praesentium attribuimus, donamus et praebemus, imo in quantum nostra iurisdictio reginalis ad ea se extendit, nostrae perpetuae donationis titulo approbamus, ratificamus, et irreuocabili foedere eidem, et per eum suis heredibus et successoribus conferrimus perpetuo et donamus, praesentis scripti patrocinio et vigore. Vt autem huius donationis et collationis series robur obtineat perpetuae firmitatis, nec processu temporum per quempiam retractari valeat, vel in irritum reuocari; praesentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Budae per manus venerabilis viri Domini Joannis, electi et